



The Holy See

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO

IN ROMANAE CURIAE*

DE NOVIS QUARUNDAM BULLARUM FORMULIS
IN CANCELLARIA APOSTOLICA UTENDIS

In Romanae Curiae ordinatione, per Constitutionem *Sapienti Consilio* decreta, Cancellariae Nostrae Apostolicae prospicientes, munus commisimus coetui trium purpuratorum Patrum, id est Cardinalibus Cancellano, Datario et a Secretis Congregationis Consistorialis, quamprimum reformandi « formulas *Bullarum* collationis beneficiorum sive consistorialium, sive aliorum; itemque *Bullarum* constitutionis dioecesium et capitulorum; denique *Regularum*, quas *Cancellariae* vocant » (*Ordo servandus*, part. II, cap. 9, art. I).

Memorati PP. Cardinales, quibus id negotii demandatum est, re mature perpensa adhibitisque in consilium aliquot adlectis viris, officii partem expleverunt et novas condiderunt formulas, quibus Cancellaria Apostolica uti debeat in conficiendis *Bullis*, hoc est apostolicis sub plumbo Litteris de beneficiis consistorialibus aliisque actis adnexis, easque formulas Nobis, ut par erat, probandas confirmandasque subiecerunt.

Quum vero easdem *Bullarum* formulas, prout in volumine typis edito continentur, diligenter inspexerimus Nostraeque voluntati plane respondere agnoverimus, Nos ex plenitudine Apostolicae potestatis ea omnino approbamus et confirmamus, atque hoc Nostro Motu-Proprio approbatas et confirmatas edicimus ac declaramus, mandantes, ut, antiquis *Bullarum* formulis hae novae sufficiantur, eademque tantummodo, a die I mensis Ianuarii proximi anni MDCCCXI ac deinceps, ab omnibus ad quos spectat religiose recipiantur et inviolate servantur, non obstantibus quibusvis, etiam specialissima mentione aut derogatione dignis.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sacra Beatae Mariae Virgini ab origine labis experti,
anno MDCCCX, Pontificatus Nostri octavo.*

PIUS PP. X.

*AAS, vol. II (1910), n. 23, pp. 939-940.

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana